

merare coepit, numerando autem complevit generationes septuaginta septem. A quo numerabat? Intendite a quo. Exorsus est numerare a Christo usque ad ipsum Adam, qui primus peccavit, et nos cum peccati obligatione generavit. Pervenit usque ad Adam, et numerantur generationes septuaginta septem: hoc est, a Christo usque ad Adam, quas diximus septuaginta septem; et ab Adam usque ad Christum septuaginta septem. Si ergo nulla generatio praetermissa est, nulla culpa praeteritur, ubi non debeat ignosci. Nam ideo ipsius septuaginta septem generationes enumeravit, quem numerum Dominus in peccatorum remissione commendavit; quoniam a baptismo coepit enumerare, ubi omnia peccata solvuntur.

1968 Et in hoc, fratres, adhuc accipite sacramentum maius. In septuagesimo septimo numero mysterium est remissionis peccatorum. Tot generationes inveniuntur a Christo usque ad Adam. Deinde paulo diligentius interroga ipsius numeri secretum, latebrasque eius inquire: pulsa diligentius, ut aperiatur tibi. Iustitia lege Dei constat: verum est. Nam lex in decem praeceptis commendatur. Ideo ille debet decem millia talentorum. Ipse est ille memorabilis Decalogus scriptus digito Dei, traditus populo per Moysen famulum Dei. Debebat ergo ille decem millia talentorum: omnia peccata significat, propter numerum legis. Debebat et ille centum denarios: non minus ab eodem numero. Nam et centies centum fit decem millia; et decies deni, centum. Et ille decem millia talentorum, et ille decies denos. A legitimo enim numero non recessum est, in quo utroque invenies utraque peccata. Uterque debitor, et uterque veniae deplorator et impetrator: sed ille servus malus, servus ingratus, iniquus, noluit rependere quod accepit, noluit

praestare quod illi indigno praestitum fuit.

Videte ergo, fratres, quisque incipit 1969 a Baptismo, liber exit, dimissa sunt illi decem millia talentorum; et cum exierit, invenire habet conservum suum debitorem. Observet ergo ipsum peccatum: quia numerus undenarius transgressio legis est. Lex enim denarius, peccatum undenarium. Lex enim per decem, peccatum per undecim. Quare peccatum per undecim? Quia transgressio denarii est, ut eas ad undenarium. In lege autem modus fixus est: transgressio autem peccatum est. Iam ubi transgredieris denarium, ad undenarium venis. Adeo magnum mysterium figuratum est, quando iussus est tabernaculum fabricari. Multa tibi numerosa dicta sunt, in magno sacramento. Inter cetera vela cilicina iussa sunt fieri, non decem, sed undecim (Exod. xxvi, 7): quia per cilicium ostenditur confessio peccatorum. Quid autem amplius quaeris? Vis nosse omnia peccata contineri numero isto septuagesimo septimo? Septuplum solet pro toto computari: quoniam septem diebus volvitur tempus, et finito septenario, rursus ad caput reditur, ut eadem forma volvatur. Per huiusmodi formae revolutiones saecula transeunt: a septenario tamen numero non receditur. Omnia enim peccata dixit, quando *septuagesies septies* dixit: quia illud undecim duc septies, fiunt septuagesies septies. Omnia ergo dimitti peccata voluit, qui ea septuagesimo septimo numero praescivit. Nemo contra se teneat non ignoscendo, ne contra illum teneatur, quando orat. Dicit enim Deus: Dimitte, et dimittetur tibi. Sed ego prior dimisi: dimitte vel postea. Nam si non dimiseris, revocabo te; et quidquid tibi dimiseram, replicabo tibi. Non enim mentitur Veritas; non enim fallit, aut fallitur Christus,

qui subiecit, dicens: *Sic et vobis faciet Pater vester, qui in caelis est.* Invenis Patrem, imitare Patrem. Si enim imitari non vis, exhaereditari disponis: *Faciet ergo illa vobis, inquit, Pater vester caelestis, si non remiseritis unusquisque fratribus vestris ex cordibus vestris.* Ne dicas in lingua: Ignosco, et corde differas. Supplicium enim ostendit tibi Deus, minando vindictam. Novit Deus ubi dicas. Vocem tuam homo audivit: conscientiam tuam Deus inspicit. Si dicis, Dimitto; dimitte. Melius est cum clamas ore, et dimittis in corde, quam blandus ore, crudelis in corde.

1970 Iam ergo obsecrant pueri indisciplinati, et nolunt vapulare, qui sic praescribunt nobis, quando volumus dare disciplinam: Peccavi, ignosce mihi. Ecce ignovi, et iterum peccat. Ignosce: ignovi. Peccat tertio. Ignosce: tertio ignovi. Iam quarto vapulet. Et ille: Numquid septuagesies septies te fatigavi? Si haec praescriptione severitas disciplinae dormiat, repressa disciplina saevit impunita nequitia. Quid ergo faciendum est? Corripiamus verbis, et si opus est, et verberibus; sed delictum dimittamus, culpam de corde abiciamus. Ideo enim Dominus subdidit, *de cordibus vestris*, ut si per charitatem imponitur disciplina, de corde lentas non recedat. Quid enim tam pium quam medicus ferens ferramentum? Plorat secandus, et secatur: plorat urendus, et uritur. Non est illa crudelitas; absit ut saevitia medici dicatur. Saevit in vulnus, ut homo sanetur: quia si vulnus palpetur, homo perditur. Sic ergo ista monuerim, fratres mei, ut fratres nostros qui peccaverint omni modo diligamus, de corde nostro charitatem in eos non dimittamus; et disciplinam, cum opus est, demus: ne per solutionem disciplinae crescat nequitia, et incipiamus propter Deum accusari; quia recitatum est nobis:

*Peccantes coram omnibus corripere, ut ceteri timorem habeant* (I Tim. v, 20). Certe si quis, quod solum verum est, distinguit tempora, et solvit quaestionem, verum est. Si peccatum in secreto est, in secreto corripere. Si peccatum publicum est et apertum, publice corripere: ut ille emendetur, et ceteri timeant.

#### Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENESI, VOL. I, SERM. 51.)

1971 TERTIO oportuit pati Christum respectu nostri; et maxime propter tria. Primo propter nostram redemptionem, secundo propter nostram iustificationem, tertio propter nostram glorificationem.

1972 Primo enim oportuit pati Christum propter nostram redemptionem; de qua redemptione tria consideremus; primo eius necessitatem, secundo eius poenitentiam, tertio eius largitatem.

1973 Primo consideremus nostrae redemptionis necessitatem. Eramus enim iustissimo Deo infinitis debitis obligati, nec satisfacere poteramus, nisi pro nobis Filius Dei moreretur; propterea necessarium fuit illum mori pro nostra redemptione. Est nihilominus advertendum, secundum Alex. de Ales in 3 quod aliter est in nobis necessitas patiendi et moriendi, et aliter fuit in Christo. In nobis enim est secundum causam materiale, formalem, et efficientem; in Domino autem Iesu Christo fuit solum necessitas ad patiendum secundum causam finalem, secundum illud Apostoli, Gal. iv: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem futuram reciperemus.* Sed ista redemptio non poterat fieri, nisi per satisfactionem, nec satisfactio, nisi per passionem; ideo sub necessitate causae finalis fuit necessitas patiendi in Christo, secundum quod ad Hebr. ix cap. super illud, *morte intercedente in redemptionem carum praevocationum quae fuerant sub priori testamento.* Glossa: Mors erat necessaria in redemptione. Et subditur: Tantum utique fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus, nisi unigenitus Dei Filius pro nobis debitoribus morte moreretur. Non fuit igitur in Christo necessitas ad moriendum secundum necessitatem causae efficientis, quia nulla causa poterat eum cogere ad moriendum, causa, inquam, creata; nec necessitas secundum rationem causae materialis, quia nulla est causa contracta ex vitio propagationis in Christo; et illa est necessitas humanae conditionis; nec necessitas se-

cundum rationem causae formalis, quia illa non potest prohiberi, nec voluntaria est; quia, ut dicit Ioann. Damascenus, passiones etsi secundum legem fiebant in Christo, non tamen coacte, sed voluntarie. Haec Alex. ubi sup. Hinc Propheta de hac humani generis necessitate in persona illius hac redemptionem a Domino postulabat, Psal. xxiv dicens: *Redime me, Domine, et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego; unicus, non habens amicos; et pauper, non habens pretium a melpso.*

1974 Secundo consideremus redemptionis nostrae poenitentiam; secundum Ansel., secundum quod dictum est, de necessitate redemptionis passus est Christus. Hinc Hebr. ii cap. Apostolus ait: *Dicebat enim eum per passionem consummare*; Glossa: Nisi Christus pateretur, homo non redimeretur, et non redemptus periret. Tamen, secundum Alex. de Ales in 2, distinguendum est inter liberationem, et redemptionem. Redimere enim est rem suam iusto pretio recuperare; et nisi esset passus, non esset per iustum pretium recuperatum quod erat amissum. Tamen si alio modo liberasset, quam per passionem, liberatio, non redemptio esset. Unde inquit Glossa ubi sup. Hebr. ii: Nisi Christus moreretur, homo non redimeretur, posito quod homo debeat redimi, id est, iusto pretio liberari, vel recuperari. Deus enim de terra creavit hominem secundum suam imaginem, et iterum convertit eum in ipsum, id est, in ipsam imaginem; quod factum est per gratiam redemptionis. Haec Alex. Ad hoc autem Bern. super Cant. serm. xxviii, inquit: Vide quid de Deo tuo sentias; vide quantum de eo praesumas; vide quibus brachiis vicariae charitatis admandum et amplectendus sit qui te tanti aestimavit; immo qui tanti te fecit; de latere enim suo te reformavit, quando pro te in cruce obdormivit, et ob hoc somnum mortis exceperit; propter te a Deo Patre exivit, et matrem synagogam reliquit, ut adhaerens ei unus spiritus cum eo fieres.

1975 Sed quaeri potest si Christus passus fuisset a daemone, si passus non fuisset ab homine? Dicendum, secundum Alex. ubi supra quod ex libertate liberi arbitrii hominis fuit quod ab homine pateretur; quia, si homines noluisse, ipsum non occidissent; unde Matth. xxi: *Forte crederentur filium meum*; quod exponens Hieron. ait: Forte tangit liberum arbitrium eorum, ut non intendere ei mortem, si non vellent; poterat ergo ab hominibus non occidi; quem si non occidissent, non tamen a daemone passus esset; tamen esset redemptio, sive liberatio hominis subsecuta. Nam tunc ad redemptionem, sive ad liberationem sola voluntas eius sufficeret patendi. Unde Rom. iv

cap. super illud: *Ei autem merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*, dicit Glossa: Ei qui habet voluntatem et facultatem non sufficit bona voluntas; ei autem qui habet voluntatem, et non facultatem sufficit voluntas; eodem modo dicendum est de Christo.

1976 Ex hoc manifeste apparet veritas illa, quam tractabimus infra, serm. vi, artic. ii, cap. i, quod quia Angeli in eorum glorificatione non egebant redemptione per Sanguinem Christi, quia non peccaverant; tamen pro eorum reconciliatione et glorificatione ardentissima charitate voluit Christus mori, licet opere pro eis non existerit mortuus.

1977 Tertio consideremus redemptionis nostrae satisfactionis largitatem. Circa quam, secundum Alex. ubi supra, pensanda sunt tria. Primo quantum solvatur, secundo a quanto solvatur, tertio cum quanto solvatur.

1978 Primo enim pensandum est quantum solvatur. Si enim vita Christi qua vivebat in carne per animam Deitati unitam consideretur, maior est vita Christi ratione Animae Deitati unitae, quam debitum totius mundi in infinitum; unde Ansel. in lib. *Cur Deus homo*: Putas ne tantum, tam amabile, quantum fuit vita Christi, posse sufficere ad solvendum quod debetur pro peccatis totius mundi? immo plus habet in infinitum. Bern. etiam dicit: Una gutta Sanguinis eius fuit sufficiens pretium nostrae redemptionis. Stupendum est igitur quod impretrabilis tam large pro pretio tam vilissimae creaturae se dedit.

1979 Secundo pensandum est a quanto solvatur, quem satisfactio fuerit facta per mortem Christi, quia ab ipso Filio Dei qui est verus Deus et invenitur super omnem aestimationem poenae satisfactio fuisse. Unde Rom. viii cap. Apostolus ait: *Qui Filio suo unigenito non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo etiam cum illo non nobis omnia donavit?* id est, condonavit et remisit. Augustinus quoque ait: Christus fuit Sacerdos per quem reconciliati sumus; fuit sacrificium per quod reconciliati sumus; fuit Deus cui reconciliati sumus.

1980 Tertio pensandum est ex quanto solvatur, id est, ex quanta charitate subierit mortem. Et quia charitas fuit immensa, invenitur satisfactio quam pro nobis fecit super omnem aestimationem excessisse modum; propterea I Cor. vi cap., ait Apostolus: *Empti enim estis pretio magno; glorificati, et portate Deum in corpore vestro.* Et iterum I Petr. i scriptum est: *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vestra cana conversatione paternae traditionis, sed pretioso Sanguine, quasi agni incontaminati, et immaculati Iesu Christi.* Si enim redemisset nos sole aut luna,

adhuc ei ad gratias teneremur. Nunc autem tanta charitate nos amavit, quod nos Anima, et Corpore, et vita redemit, ut nil horum sibi subtrahere intendamus. Tanta nempe charitate dilexit nos summa sapientia Dei Christus, ut, dum pro nobis moritur, summa insipientia dici possit. Ubi, quaeso, reperiretur homo tam demens, qui pro formica quae momordisset eum, pro illa utique redimenda, in fornicam converti vellet; quam tamen utraque creatura esset? Sed pro redemptione nostra, quod magis videtur stultum, Creator in mortem se tradidit pro sua vilissima creatura.

1981 Secundo quidem oportuit pati Christum propter nostram iustificationem; unde Apoc. i: *Lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo*; et Hebr. ix: *Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.*

1982 Advertendum tamen est, secundum Alexand., in ii, quod passio Christi se habet ad remissionem peccati pluribus modis. Duplex est enim passio Christi: prima in rei natura, secunda in Anima.

1983 Primum enim secundum quod est in rei natura operatur ad deletionem peccati dupliciter: primo per modum meriti, secundo per modum satisfactionis. In peccato etiam duo sunt. Primum est macula, secundum est reatus. Macula quidem deformitas est, vel dissimilitudo ad Deum: reatus autem est obligatio ad poenam. Primo est ergo passio Christi meritoria deletionis maculae ipsius culpa, quia meruit nobis gratiam, et omne illud quod delentur peccata; unde Rom. viii cap., Apost. ait: *Si proprio Filio suo non pepercit, quomodo etiam cum illo non nobis omnia donavit?* Secundo autem passio Christi est satisfactoria ipsius reatus poenae, secundum quod Is. l.iii cap. scriptum est: *Vere langores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Item Ansel. ii *Cur Deus homo*, post praeallegatam sententiam: Putas ne tantum modum, aequo, statim subiungit: Vides ergo quomodo haec vita vincat omnia peccata, si pro illis datur. Ex his patet quod passio Christi in ipsa natura rei delet culpam ut causa meritoria gratiae ad delendum maculam, et ut causa satisfactoria ad delendum reatum et poenam.

1984 Secundo autem passio consideratur secundum esse quod habet in Anima, et secundum hoc etiam valet ad deletionem peccati quatuor modis. Primo per dilectionem, secundo per fidem, tertio per compassionem, quarto per imitationem. Istis quatuor modis passio Christi coniungitur animae, et habet esse in illa. Passio igitur Christi in dilectione et

fide valet ad deletionem maculae. Passio vero Christi in compassione et imitatione valet ad deletionem reatus et poenae.

1985 Primo igitur passio Christi duobus modis valet ad deletionem peccati, sicut dicit Magister in iii sent., xviii dist. Primum modus est ex parte charitatis excitantis, secundus ex parte fidei efficientis. Primum autem modus ex parte charitatis excitantis est, quia per compassionem Christi excitatur in nobis amor Dei, secundum quod v cap. ad Rom., Apost. ait: *Commendat autem Deus charitatem suam in nobis, quoniam, quam esseamus peccatores, Christus pro nobis mortuus est*; et ex hoc accenditur ad amandum eum charitatis amore quae operit multitudinem peccatorum. Secundus autem modus ex parte fidei efficientis est, quia passio Christi per fidem formatam, quae cum amore Dei valet ad deletionem maculae peccati ut causa effectiva coniuncta: et hoc in adultis in fide propria: vel cum sacramento fidei, ut baptizatis, ad deletionem maculae; et hoc in fide aliena, scilicet, Ecclesiae: unde Apost. ad Rom. iii cap. ait: *Iustitia Dei per fidem est Iesu Christi, quem proposuit propitiatorem per fidem in Sanguine*; id est, per fidem passionis. Ex quo relinquatur quod ex fide passionis est iustificatio, sive emundatio peccatorum.

1986 Secundo vero passio Christi per compassionem et imitationem valet ad deletionem reatus poenae; primo enim compassio interior est causa remissionis poenae; unde II Timoth. ii: *Si compatimur, et conregnabimus.* Ad hoc enim Christus crucifixus continue in Ecclesia praesentatur, ut ad compassionem eius inflammemur. Continue est etiam ante mentis oculos proponenda dulcis passio Iesu Christi, iuxta consilium quod Deut. xxviii cap. datum est, ubi dicitur: *Erit vita tua, scilicet, dulcis Iesus, quasi pendens ante te*, scilicet, in cruce, ad cordialiter compatiendum.

1987 Secundo vero imitatio in actu exteriori est causa satisfactiva vel satisfactoria debita poenae; propterea ad eius compassionem hortatur Beatus Petrus I in sua, ii cap., dicens: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius.* Secundum enim Aug. in lib. 83 q., ad perfectam virtutem pertinet pro loco, et tempore, non solum mortem non timere, sed nec perhorrescere genus mortis. Ad hanc igitur perfectionem Christus, ut nos suo hortaretur exemplo, in cruce voluit mori. Hinc et xii cap. Hebr. Apost. ait, exhortando nos: *Aspicite auctorem fidei et consummatorum Iesum pro patientiam curramus ad propositum nobis certamen, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confessione contemptu.*

1683 Adverte, igitur, humana tepiditas, quanti periculi sit Christi passionem non imitari, quam ab hoc omnia peccata originem sumant; unde August. *de vera Religione* ait: Omne peccatum est ex eo quod Christus contempserit; et quia refugimus quae ipse sustinuit. Appetivit autem Christus paupertatem, villitatem, et subiectionem; homines vero eligunt divitias, delicias, et honores.

1689 Sed dices: quare non eligit Christus pro nostra redemptione viam prosperitatis in qua plures haberet imitatores, quam viam adversitatis; prosperitatis dico non culpabilis? Dicendum quod hominis redemptio fieri debuit per satisfactionem pro peccato; satisfactio autem pro peccatis debet esse poenalis et afflictiva; propter quod debuit esse redemptio nostra, non per incesum per viam prosperitatis, sed potius poenalis adversitatis; propterea, si elegisset viam prosperitatis, divinae misericordiae minime conveniret, quia tunc non esset recessus a peccato. Cum his omnibus concordat Alexander, ubi supra.

## FERIA QUARTA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATHAELUM.  
*Math. XV, 1-29.*

In illo tempore: Accesserunt ad Iesum ab Ierosolymis scribae et pharisaei, dicentes:

2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lavant manus suas cum panem manducant.

3. Ipse autem respondens, ait illis: Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit:

4. Honora patrem, et matrem; et: Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.

5. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri, vel matri, Manus quodcumque est ex me, tibi proderit.

6. Et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.

7. Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens:

8. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est a me.

9. Sine causam autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.

10. Et convocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, et intelligite.

11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

12. Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: Scis quia Pharisaei audito verbo hoc, scandalizati sunt?

13. At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus caelestis, eradicabitur.

14. Sinite illos: caeci sunt, et duces caecorum;

caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in ioveam cadunt.

15. Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam.

16. At ille dixit: Adhuc et vos sine intellectu estis?

17. Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in recessum emittitur?

18. Quae autem procedunt de ore, de corde exiunt, et ea coinquinant hominem:

19. de corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, turba, falsa testimonia, blasphemiae.

20. Haec sunt, quae coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

COMMENT. IN MATH. CAP. 15.

**N**unc accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scribae et Pharisaei, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Mira Pharisaeorum Scribarumque stultitia, Dei Filium arguunt, quare hominum traditiones et praecepta non servet?

Non enim lavant manus suas, cum panem manducant. Manus, id est, opera, non corporis utique, sed animae lavandae sunt, ut fiat in illis verbum Dei.

Ipse autem respondens, ait illis: Quare et vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram? Falsam calumniam vera responsione confutat. Cum, inquit, vos propter traditionem hominum praecepta Domini negligatis, quare discipulos meos arguendos putatis, quod seniorum iussa parvipendant, ut Dei scita custodiant?

Nam Deus dixit: Honora patrem et matrem, et qui maledixit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri: manus quodcumque est ex me, tibi proderit, et non honorificabit patrem suum aut matrem suam, et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Hypocritae, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et

mandata hominum. Et convocatis ad se turbis, dixit eis: Audite et intelligite. Honor in Scripturis non tantum in salutationibus et officiis deferendis, quantum in eleemosynis ac munerum oblatione sentitur (EXOD. XX, 12; XXI, 15, 7, et LEV. XX, 9). Honora, inquit Apostolus, viduas quae vere viduae sunt (I TIM. V, 3); hic honor donum intelligitur. Et in alio loco: Presbyteri duplici honore honorandi, maxime qui laborant in verbo et doctrina Dei (Ibid. 17). Et per hoc mandatum iubentur ut bovi trituranti os non claudamus (DEUT. XXV, 4; I COR. IX, 9). Et dignus sit operarius mercede sua (LUC. X, 7). Praecepit Dominus, vel imbecillitates, vel aetates, vel penurias parentum considerans, ut filii honorarent, etiam in vitae necessariis ministrandis, parentes suos. Hanc providentissimam Dei legem volentes Scribae et Pharisaei subvertere, ut impietatem sub nomine pietatis inducerent, docuerunt pessimos filios, ut si quis ea quae parentibus offerenda sunt, Deo votare voluerit (qui verus est Pater), oblatio Domini praeponatur parentum muneribus: vel certe ipsi parentes, quae Deo consecrata cernebant, ne sacrilegii crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur. Atque ita fiebat ut oblatio liberorum, sub occasione templi Dei, in sacerdotum lucra cederet. Haec pessima Pharisaeorum traditio, de alia veniebat occasione. Multi habentes obligatos aere alieno, et nolentes sibi creditum reddere, delegabant sacerdotibus, ut exacta pecunia ministeriis templi et eorum usibus deserviret. Potest autem et hunc breviter habere sensum. Minus quod ex me est tibi proderit: Compellitis, inquit, filios ut dicant parentibus suis: quodcumque donum oblatum eram Deo, in tuos consumo cibos, tibi que prodest, o pater et mater, ut illi timentes acci-

pere quod Deo mancipatum vident, inopem magis velint vitam ducere, quam comedere de consecratis.

Non quod intrat in os communicat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc communicat hominem. Verbum communicat, proprie Scripturarum est, et publico sermone non teritur. Populus Iudaeorum, partem Dei esse se iactans, communes cibos vocat, quibus omnes utuntur homines. Verbi gratia, suillam carnem, ostreas, lepores et istiusmodi animantia quae ungulam non findunt; nec ruminant, nec squamosa in piscibus sunt. Unde et in Actibus apostolorum scriptum est: Quod Deus sanctificavit, tu ne commune dixeris (ACT. X, 15). Commune ergo, quod ceteris hominibus patet, et quasi non est de parte Dei, pro immundo appellatur. Non quod intrat in os communicat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Opponat prudens lector, et dicat: Si quod intrat in os non coinquinat hominem, quare idolothytis non vescimur? Et Apostolus scribit: Non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum (I COR. X, 20). Sciendum igitur quod ipsi quidem cibi et Dei creatura per se omnis munda sit: sed idolorum ac daemonum invocatio ea faciat immunda.

Tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: Scis quia Pharisaei, audito verbo hoc, scandalizati sunt. Ex uno sermone omnis superstitio observationum Iudaicarum fuerat elisa; qui in cibis sumendis abominandisque, religionem suam sitam aribrabantur. Et quia crebro teritur in ecclesiasticis Scripturis, scandalum, breviter dicamus quid significat. Σκάνδαλον, et scandalum, nos offendiculum, vel ruinam et impactionem pedis possumus dicere. Quando ergo legimus: Quicumque de minimis istis scandalizaverit quempiam,

hoc intelligimus, qui dicto factove occasionem ruinae cuiquam dederit.

1996 *At ille respondens, ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur.* Etiam quae plana videntur in Scripturis, plena sunt questionibus: Omnis, inquit, plantatio quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur. Ergo eradicabitur et illa plantatio, de qua Apostolus ait: *Ego plantavi, Apollo rigavit* (I Cor. III, 6). Sed solvitur quaestio ex eo quod sequitur: *Deus autem incrementum dedit* (Ibid.). Dicit et ipse: *Dei agricultura, Dei aedificatio estis* (Ib. 9). Et in alio loco: *Cooperatores Dei sumus* (III IOANN. 8). Si autem cooperatores: igitur, plantante Paulo et rigante Apollone, Deus cum cooperatores suis plantat et rigat. Abutuntur hoc loco qui diversas naturas introducunt dicentes: Si plantatio quam non plantavit Pater, eradicabitur: ergo quam plantavit ille, non potest eradicari. Sed audiant illud Ieremiae: *Ego vos plantavi vineam veram, quomodo versi estis in amaritudinem vitis alienae?* (IEREM. II, 21). Plantavit quidem Deus, et nemo potest eradicare plantationem eius. Sed quoniam ista plantatio in voluntate proprii arbitrii est, nullus alius eam eradicare poterit nisi ipsa praebuerit assensum.

1997 *Sinite illos, caeci sunt, duces caecorum. Caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.* Hoc et Apostolus praeeperat: *Haereticum hominem post unam et alteram corruptionem devota, sciens quod perversus sit huiusmodi et a semetipso damnatus* (TIT. III, 10, 11). In hunc sensum et Salvator praecipit doctores pessimos dimitte ad arbitrio suo, sciens eos difficile ad veritatem posse trahi, et caecos esse, et caecum populum in errore trahere.

1998 *Respondens autem Petrus, dixit ei: Dissidere nobis parabolam istam. At ille*

*dixit: Adhuc et vos sine intellectu estis? Quod aperte dictum fuerat, et patebat auditu, apostolus Petrus per parabolam dictum putat, et in re manifesta mysticam quaerit intelligentiam. Corripitur quae a Domino, quare parabolice dictum putat, quod perspicue locutus est. Ex quo animadvertimus vitiosum esse auctorem, qui aut obscura manifeste, aut manifeste dicta obscure velit intelligere.*

*Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur? Quae autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquant hominem.* Omnia Evangeliorum loca apud haereticos et perversos plena sunt scandalis. Et ex hac sententia quidam callumniantur, quod Dominus physicae disputationis ignarus, putet omnes cibos in ventrem ire, et in secessum digeri: cum statim infusae escae per artus et venas ac medullas, nervosque fundantur. Unde et multos, qui vitio stomachi perpetem sustinent vomitum, post coenas et prandia, statim vomere quod ingererint, et tamen corpulentos esse: quia ad primum tactum liquidior cibus et potus per membra fundantur. Sed istiusmodi homines dum vultu alterius imperitiam reprehendere, ostendunt suam. Quamvis enim tenuis humor et liquens esca, cum in venis et artubus concocta fuerit et digesta, per occultos meatus corporis, quos Graeci *πόροι* vocant, ad inferiora dilabitur, et in secessum vadit.

*De corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae: haec sunt quae coinquant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquant hominem.* De corde, inquit, exeunt cogitationes malae. Ergo animae principale non secundum Platonem in cerebro, sed iuxta Christum in corde est:

et arguendi ex hac sententia sunt, qui cogitationes a diabolo immitti putant, et non ex propria nasci voluntate. Diabolus adiutor et incensor malarum cogitationum potest esse, auctor esse non potest. Sin autem semper in insidiis positus, levem cogitationum nostrarum scintillam suis fomitibus inflammavit, non debemus opinari eum cordis quoque occulta rimari, sed ex corporis habitu, et gestibus aestimare quid versemus intrinsecus. Verbi gratia: Si pulchram mulierem nos crebro viderit inspicere, intelligit cor amoris iaculo vulneratum.

#### Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENENSI, VOL. I, SERM. 51).

2001 **T**ERTIO quidem oportuit Christum pati propter nostram glorificationem: Ipse autem per meritum suae passionis nos perducit ad gloriam divinae contemplationis, hic per speculum in aenigmate, ibi bestia autem patria facie ad faciem, sicut I Ioann. III cap., scriptum est: *Quam apparuerit nobis, similis ei erimus, quando videbimus eum sicuti est.* Hinc Apoc. V cap. mystice Ioann. in persona omnium salvandorum, ait ad Christum: *Dignus es, Domine, aperire librum, et solvere septem signacula eius, quoniam occisus es; et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione;* in quibus sacratissimis verbis triplex ratio demonstratur quare humano generi coelestis gratia revelata sit: Primo ratione dignitatis, secundo ratione mortalitatis, tertio ratione virtuositatis.

2002 Primo autem ratione dignitatis quae fuit in solo Christo. Solus enim Christus Dominus dignus est aperire librum visionis divinae, et signacula septem dotum Beatorem detegere, qui Dominus est per datam sibi a Deo Patre in coelo et in terra potestatem, sicut Matth. ult. dictum est. Quia enim natura est Deus, eandem cum Patre habet naturam; ut quae per Deitatem a Deo Patre accepit, nobis per humanitatem apparens possit communicare. Unde I Ioann. I: *Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ex hoc enim quod hic dicitur apparet falsitas illius erroris quod quidam minus eruditi in vera theologia, dialectice nugantes, asserere voluerunt neminem ante iudicium pervenire posse ad faciem visionem Dei. Si enim liber sapientiae Dei et visionis divinae in quo om-

nia leguntur merito passionis Christi, ut hic apparet, nobis aperta est; quid causae esse potest quare divinae visionis effectus ulterius differatur, quam causa iam sit completa, quae est meritum passionis Christi? In huius enim mysterium, Christo in cruce mortuo, *velum templi scissum est*, ut dicitur Luc. XXIII: *Et latius Christi aperta est*, Ioann. XIX cap., ait: *Et exiit Sanguis et aqua;* ut in Sanguine redempti a diaboli servitute, et aqua baptismatis vel lacrymarum poenitentiae abluti a propriis sordibus, intremus ad videndum interiora Christi, quae sunt ipsius Deitas, per ostium quod est sancta Humanitas sua; et, revelato velamento, propalata Sanctorum via, abluti corpus aqua munda, introeamus ad contemplanda Sancta Sanctorum in Sanguine Christi, qui nunciavit nobis novam viam et viventem per velamen, id est, per Carnem suam, ut dicit Apost. Hebr. X cap.

Secundo autem humano generi revelata est gloria ratione mortalitatis, quia pro ea nobis revelanda Christus mortuus est. Si ergo ex parte nostra, quia purgati et mundati non sumus, quantum in nobis est a culpa, imposimentum non fuit ex parte Dei et Christi, postquam nos per mortem suam redemit, utique impedimentum non erit quia reveletur nobis gloria paradisi; et hoc est quod Ioann. subdit: *Quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in Sanguine tuo.* Aequitas enim divinae iustitiae requisivit ut homo sine morte liberari non posset, qui prius debuisset subisse mortem, quam Deum offensisse per culpam mortalem. Non tamen mors cuiuscumque hominis sufficiebat ad nostram redemptionem, quia omnes peccatores erant; et peccatoris mors non meritaria, sed debita iudicatur.

2003 Oportuit ergo hominem qui pro hominibus moreretur innocentem esse, qui pro nocentibus subiret mortem: propterea innocens Christus congruissime agno assimilatur. Nec insuper mors cuiuscumque innocentis sufficeret sibi, nedum aliis sufficere posset; licet enim forte, si quis innocens esse valeret, mors eius sufficeret ad lucrandum sibi a Deo immortalem vitam, aliis tamen eius mors non sufficeret ad salutem. Nilil enim quaecumque creatura aequale habet quod laeso honori Dei per primi hominis praevercationem rependere posset. Oportuit ergo hominem innocentem esse qui posset pro homine mori, et Deum esse qui aequalem placationem poneret irae Dei. Si enim mediator Dei et hominum homo Christus Iesus Deus est, ut aequale sit meritum praemio quod meretur; hoc est, ut homo pro hominibus moreretur, ut sic redimeret eos in Sanguine suo: redimeret, inquam, a culpa ad gratiam, ut qui fuerunt inimici Dei per culpam reconciliantur Deo per dilectionem consummatam et veram.

- 2005 Tertio autem revelata est nobis gloria paradisi ratione virtuositatis, scilicet, cooperantur per bonam vitam ad meritum passionis Filii Dei. Licet enim haec redemptio omnium esset per sufficientiam, etiam si millia millium mundorum forent qui essent hominibus pleni; non tamen per efficientiam, nisi illorum qui cooperantur per opera virtuosae; unde Ioann. xi cap. scriptum est, quod: *Iesus mortuus erat pro gente: et non tantum pro gente, sed ut filius Dei qui erat dispersi congregaret in unum*. Non enim pro sola gente Iudaeorum mortuus est Christus, nec pro omnibus gentibus liberandis moriebatur<sup>1</sup>; sed ut ex omni tribu et lingua et populo et natione filios Dei in unitate fidei et agnitione Filii Dei congregaret. Ad litteram autem intelligendum est quod Tribus dicitur ex tribus filii Noe, ex quibus post diluivum omne genus humanum in terra disseminatus est, sicut patet Gen. ix. Linguae sunt 72, in quas divisus est mundus ad turrim Babel. Gen. xi. Populi autem in una lingua diversi sunt. In unoquoque populo diversae sunt nationes, scilicet, in diversis patriis nati; unde Act. ii: *Erant in Ierusalem habitantes Iudaei, viri religiosi ex omni natione quae sub coelo est*; igitur sub diversis tribubus, sunt 72 linguae.
- 2006 Ex quo colligitur quod nullum genus, nullus sexus, nulla conditio hominum exclusa est a gratia et merito passionis Christi; unde Act. x Beatus Petrus dicit: *Non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente quae timet Deum, et operatur iustitiam, acceptus est illi*.
- 2007 Similiter quoque intellige iuxta mysticum intellectum in his quatuor vocabulis quadruplicem corruptionem a qua Christus humanum genus charitate sua redemit. Prima est naturae, secunda est sermonis, tertia est operis, quarta est originis.
- 2008 Prima enim corruptio est naturae, quam, scilicet, in natura operatur peccatum et culpa. Natura nempe rationalis in tribus consistit; scilicet, in ratione voluntate, et facultate; ideo igitur Christus ex omni tribu redemit qui ex hac triplici corruptione naturae, scilicet, rationis voluntatis, et facultatis, suos misericorditer liberavit. Secunda est corruptio sermonis quae per linguam significatur. Tertia est corruptio operis quae per populum denotatur; populus enim animae eius opera sunt. Quarta est corruptio originis quae intelligitur per nationem.
- 2009 Christus ergo ex omni tribu, lingua, populo, et

<sup>1</sup> Per omnibus tamen hominibus Christus mortuus est, iuxta illud I Cor. xv, 22: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*. Quod et S. Auctor infra explanat.

natione redemit qui ex omni corruptione naturae verbi, operum, et originis suos per sanctissimam passionem et mortem liberare dignatus est. Unde Apost. Rom. v cap. ait: *Iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem*.

Si enim unus delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes in vita regnabunt per unum Iesum Christum. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae. Igitur ex his omnibus patet quod Christus mortuus est propter glorificationem nostram. Hinc Aug. ait: Per Redemptoris nostri mortem de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de exilio ad patriam, de luctu ad gaudium, de terris ad coelestem vocati sumus. Haec ille.

Passionem igitur Domini, atque crucem diligere et imitari debet omnium mortalium vita, quam finivit per crucem ipse Dominus immortalis pro nobis factus mortalis, non ut maneret mortalis, sed ut mortalis vita feret immortalis; quod efficere ipsa charitas docet, suadet veritas, necessitas omnino compellit, rependenda gratitudo trahit, ut advertamus quantae dignitatis extitit homo qui Deo inimicari potuit talibus inimicitis non solvendis, nisi per acerbissimam Domini passionem; quantum Deo displicerit peccatum, ac quam magni ponderis extiterit, ut pro illo Dei Filium necesse esset pervenire ad crucem.

Quae dignatio, quae humilitas, quae charitas ineffabilis! ut voluntarie Dei Filius pro nobis in carne pateretur crucem per quam, quasi per scalam salutis, omnes possemus conscendere ad gloriam sempiternam; quam nobis misericorditer largire dignetur ipse Dei Filius Iesus pro nostra gloria crucifixus, cui cum Patre et Spiritu sancto, sit omnis honor et gloria, gratiarum actio, decus, et imperium per infinita saecula saeculorum. Amen.

#### FERIA QUINTA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.  
*Luc. IV, 38-44.*

In illo tempore: Surgens Iesus de synagoga, invenit in domum Simonis. Socrus autem Simonis, tenebatur magnis febris: et rogaverunt illum pro ea.

39. Et stans super illam, imperavit febrim: et dimisit illam. Et continuo surgens ministrabat illis.  
40. Cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad

cum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.

41. Exhibant autem daemonia a multis, clamantia et dicentia: Quia tu es filius Dei: et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

42. Facta autem die egressus ibat in desertum locum, et turbae requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum: et detinebant illum ne discederet ab eis.

43. Quibus ille ait: Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum.

44. Et erat praedicans in synagogis Gallilaeae.

#### Homilia S. Ambrosii Episcopi.

COMMENT. IN LUC. CAP. 4.

2013 **V**IDE clementiam Domini Salvatoris: nec indignatione commotus, nec scelere offensus, nec iniuria violatus Iudaeam deserit: quin etiam immemor iniuriae, memor clementiae, nunc docendo, nunc liberando, nunc sanando, infidae plebis corda demulcet. Et bene sanctus Lucas virum ab spiritu nequitiae liberatum ante praemisit, et substituit feminae sanitatem. Utrumque enim sexum Dominus curaturus advenerat; et prior sanari debuit, qui prior creatus est, nec praetermitti illa quae mobilitate magis animi, quam pravitate peccaverat.

2014 Sabbato medicinae Dominicae opera coepta significat, ut inde nova creatura coeperit, ubi vetus ante desivit: nec sub lege esse Dei Filium, sed supra legem, in ipso principio designaret: nec solvi legem, sed impleri. Neque enim per legem, sed verbo factus est mundus, sicut legitur: *Verbo Domini coeli firmati sunt* (Psal. xxxii, 6). Non solvitur ergo lex, sed impletur, ut fiat renovatio hominis iam labentis. Unde et Apostolus ait: *Exspoliantes vos veterem hominem... induite novum qui secundum Christum creatus est* (Ephes. iv, 22, 24; Coloss. iii, 9, 10). Et bene sabbato coepit, ut ipsum se ostenderet creatorem, qui opera operibus intexeret, et prosequeretur opus quod ipse iam coeperat: ut si domum faber renovare disponat, non a funda-

mentis, sed a culminibus incipit solvere vetustatem. Itaque ibi prius manum admoveat, ubi ante desierat.

2015 Deinde a minoribus incipit, ut ad maiora perveniat. Liberari a daemone et homines, sed in verbo Dei possunt, resurrectionem mortuis imperare divinae solius est potestatis.

2016 Nec quemquam movere debet, quod Iesu Nazareni nomen in hoc libro diabolus dixisse primus inducitur. Nec enim ab eo Christus nomen accepit, quod de coelo angelus ad Virginem detulit (Luc. i, 31). Est enim huius impudentiae ut inter homines aliquid primus usurpet, et ad homines quasi novum deferat, quo terrorem suae potestatis incutiat. Denique et in Genesi primus Deum homini nuncupavit, sic enim habes: *Et dixit serpens mulieri: Quid utique dixit Deus ne edatis ab omni ligno?* (Gen. iii, 1). Uterque igitur deceptus a diabolo est, sanatus a Christo.

2017 Sequere cetera, et evangelicae lectionis discere mysteria, atque in duorum sanitate publicae sacramentum salutis agnosce. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (I Cor. xv, 22). Quis est ille qui in synagoga spiritum daemonii habebat immundum, nisi populus Iudaeorum, qui quasi serpentinis spiris revinctus, et in nodatus diaboli laqueis, simulatam corporis munditiam interioris mentis sordibus inquinabat? Et bene: *In synagoga homo erat qui spiritum immundum habebat*; quia Spiritum sanctum amiserat. Introierat enim diabolus, unde Christus exierat. Simul ostenditur natura diaboli non improba, opera iniqua. Nam quem per superiorem naturam Dominum confitetur, opere negat. Et in hoc apparere eius nequitia, et improbitas Iudaeorum; quod ita populo vesanae cecitate mentis offudit, ut populus neget, quem dae-

mones confitentur. O peior magistro discipulorum haereditas! Ille verbo Dominum tentat, hi facto; ille dicit: *Mitte te* (LUC. IV, 9); isti adoriuntur, ut mittant.

2018 Si altiore consilio ista pensamus, animi debemus intelligere et corporis sanitatem; ut prius animus qui serpentis laborabat insidiis, absolutus sit. Anima enim numquam a corpore vinceretur, nisi prius a diabolo tentaretur. Nam cum anima corpus agat, vivificet, et gubernet; quemadmodum in eius illecebras captiva raperetur, nisi et ipsa superioris alicuius potestatis vinculis stringeretur? Denique non prius Eva esurivit, quam serpentis eam versutia tentavit: et ideo adversus ipsum auctorem peccati prius debuit medicina salutis operari.

2019 Fortassis etiam in typo mulieris illius socrus Simonis et Andreae variis criminum febribus caro nostra languebat, et diversarum cupiditatum immodicis aestuabat illecebris. Nec minorem febrem amoris esse dixerim, quam caloribus. Itaque illa animum febris, haec corpus inflamat. Febris enim nostra avaritia est, febris nostra libido est; eo quod ignitae sint cupiditates. Unde et Apostolus ait: *Si non se continent, nubant; melius est enim nubere quam iri* (I COR. VII, 9). Febris nostra luxuria est, febris nostra ambitio est, febris nostra iracundia est. Quae licet corporis vitia sint, ignem tamen ossibus implicant, mentem, animum, sensusque pertentant. Haec prior diaboli sollicitatur arte. Et enim ager bonus, vestis, monile, suadela serpentis est. Honorum gratia, sublimitas potestatum, epularum suavitas, forma meretricis laqueus est diaboli, et quasi quidam nequitiae spiritalis illecebrus affatus, qui per carnis illecebram quae cito feminea quadam levitate mollietur,

animum quoque de gradu deiciat. Neque enim formam mulieris animus prius quam corporis oculus concupiscit. Denique quod non videris, non amabis; sed ubi caro concupierit, compatentis quoque animi constantia defatiscit, et mens consortio amoris inflectitur (duo enim in carne una sunt), atque ita mors irrepit sceleris effectum, tentante diabolo, carne suadente.

Vehementior tamen est animi quam 2020 corporis febris: et ideo pro animi voluptate, corporis salus plerumque contemnitur, nec a periculis abstinetur. Unde non alienum videtur repetere quemadmodum Theotimus cum gravi oculorum incommodo laboraret, et amaret uxorem, interdicta sibi a medico facultate coeundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus, se moderari nequiverit. Sciens enim prudensque quod esset oculos amissurus, priusquam convenisset uxori, in ipso aestu ferventis cupiditatis, et consuetudinis apparatus: Vale, inquit, amicum lumen. Sic febre libido flagrantior est, graviusque praecipitat et inflamat.

2021 Sed ubi quis resipuerit a furore, tunc conscientiae interioris aperitur visus, factique poenitentia succedit, et pudenda sui unusquisque facinoris conscientia erubescit. Tunc Deus timetur, et peccator se cupit celare, sed non potest: tunc caro arguitur, diabolus accusatur: haec quasi lena vitiorum, ille quasi auctor erroris. Patescit deformitas; nudum est enim Deo omne secretum, nec illius ficus foliis, hoc est, tegmine corporali vel iactantia saeculari flagitiorum secreta velantur. Et unusquisque divinum peccati conscia formidat mente iudicium dicens: Qui super me montes cadent? in quibus me abscondam scissurus petrarum, cum venerit confringere terram? Tunc tribulos et spinas animo caro, hoc est,

curarum morsus sollicitudinumque generat, aestusque, quos sibi per concupiscentiam carnis animus ipse circumdedit. Etenim quasi clavis quibusdam suffigitur anima corporeis voluptatibus, et cum semel adhaeserit cupiditatibus demersa terrenis, difficile in altum potest, unde descendit, sine Dei favore revolare. Actuum enim suorum vincula laqueis, et deliciarum saecularium illecebris obnoxia iam tenetur.

2022 Hunc ergo Adam, haec Evam Dominus liberaturus advenit: quorum alter ad imaginem Dei factus, altera virtutem sui accipiens viri, quamdiu fuit subdita fortiori, unam gerebant in uno spiritu Deo placitam voluntatem: et in paradiso Dei positi, vitae coelestis operabantur alimoniam. Postea vero quam caro suadere diversum, et legem coepit propriam non tenere, paradisi exsules facti, in hunc inferiorem demersumque locum peccati merito reciderunt. Nec quisquam putet incongruum esse, si Adam atque Eva in typo animae et corporis aestimentur, cum in typo Ecclesiae aestimentur et Christi. Nam cum duo esse in carne una Apostolus diceret, adiecit: *Sacramentum*, inquit, *hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (EPHES. V, 32). In quo ergo superni Dei, in eo multo magis animi nostri potest esse mysterium.

2023 Sed haeret, suffixus est, captus est, et corporeis succensus febribus, compassione carnis aegrescit. Quaerendus est medicus. Sed quis iste tantus est, qui sauciae mentis mediatur ulceribus? Quis tantus est homo, qui possit aliis subvenire, cum ipse sibi non possit? Quis aliis possit vitam reddere, cum ipse mortem non possit evadere? Omnes enim in Adam mortui; quia: *Per unum hominem in hunc mundum peccatum introivit et per peccatum mors: et ita in om-*

*nes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (ROM. V, 12). Illius igitur culpa mors omnium est. Denique missi sunt sancti, missi sunt et prophetae, qui oracula divina loquerentur; nec quidquam promovere potuerunt. Quaeramus ergo aliquem de angelis aut archangelis medicum. Sed quemadmodum mihi possunt praesidium ferre, ne peccem; cum ipse archangelus a peccato non potuerit abstinere? Quemadmodum ad paradysum angelus revocare me poterit, cum ipse Satanus et angeli sui sedem quam acceperunt, servare non possint?

Varia de Passione Christi.

[EX S. BERNARDINO SERENSI, VOL. II, SERM. 59].

2024 **A**FFLICTUS sum et humiliatus sum nimis, rugiebam a genuis cordis mei. Domine, ante te omne desiderium meum (PSAL. XXXVII). Ad contemplandum sacramentum Dominicae Passionis, licet omnium nostrum ad hoc desideria inardescant; tamen imbecillitas humani ingenii omnino insufficientis est. Porro quam in Christo Iesu esset divinitas, quia Filius unicus Dei erat, et anima rationalis a Deo creata, atque caro de Virgine sumpta, ipsa rei magnitudo stupendam abyssum admirationis ingerit menti, atque incomprehensibilitatem tanti mysterii protestatur, scilicet, quod Dei Filius tam aspera pro nobis voluerit pati, atque in cruce opprobriosisse mori; quod intelligens a rationali natura non posse comprehendi, Eccl. I, ait: *Altitudinem caeli, ecce divinitas Christi, et latitudinem terrae*, id est, carnis in passionibus dilatatae, et profundum abissi, id est, eius animae in doloribus abyssatae, *quis dimensus est?* quasi dicat: nulla rationalis et creata natura; sed ante omnia ipsa admiratio animi propulsans atque interrogans ait: quum *Deus dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt* (PSAL. XXXIII), cur pro nostra redemptione tot et tanta supplicia passus est?

2025 Ad hoc respondet Hayno in quodam sermone in mysterio dicens, quod inter misericordiam et veritatem difficultis altercatio fuit; veritas enim in adiutorium, et concilium sibi iustitiam advocavit; misericordia autem pacem in subsidium invocavit; ambae communiter divinae sapientiae arbitrium elegerunt; partibus igitur in praesentia arbitrii

constitutis, misericordia pacis instructa concilio, taliter allevavit: Quam Deus summa bonitate fecerit hominem ad imaginem et similitudinem suam, indignum est tam digna creatura tota perire, et Deus fraudetur proposito suo; qui propterea fecit hominem, ut illum cognosceret, cognatum diligere, et dilectum haberet; si ergo talem ex toto puniret, nulla prorsus bonitas, immo potius crudelis esset impietas. Non ergo *obliviscatur miserari Deus, ne contineat in ira sua misericordias suas* (PSAL. LXXXVI). Veritas autem, iustitiae freta consilio, ad hoc respondet: Quam Deus summa aequitate propter peccatum clausit ianuam Paradisi collocans Cherubin apud Paradisum ut Angelus diabolum et hominem igneo gladio offugaret, indignum est, ut eam referet indignis, ne sanctum Dei caibus, vel margaritas spargat ante porcos. Psal. xlii: *Omnes enim declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum.*

Job. xiv: *Omnes enim immundo semine concepti sunt.* Psal. lxxxvii: *Et apposuerunt adhuc peccare ei.* Ad haec misericordia respondet: Quod quamvis homo valde peccaverit, postea tamen perfecte poenitit; ideo quod ante amisit per culpam recuperare debet per poenitentiam; Ezech. xxxiii: *Quocumque enim hora peccator conversus fuerit, et ingemuerit, vita vivet et non morietur.* E. contra Veritas respondet: Licet homo per pecuniam culpam deleverit, perfectam tamen innocentiam pecunia non restituit, quia remanet semper fomes peccati, languor naturae, et tyrannus carnis; ideo quam possit poenam auferre, non potest tamen gloriam restituere.

2026 His et talibus oburgationibus divina sapientia cogitavit cogitationes pacis, et vidit quod iustitia laederetur, nisi sufficiens poena pro omnibus solveretur; sed misericordia disperiret, si quemlibet sufficienti poena puniret; unde ut tam misericordiae, quam iustitiae satisfaceret, indicavit ut filius Dei assumeret in se poenam pro omnibus, et donaret per se gloriam universis. Ac per hoc iustitia et pax osculatae sunt et complexae sunt; alius nullus enim invenitur *dignus aperire ianuam Paradisi, nisi leo de tribu Iuda; qui aperit, et nemo claudit, claudit et nemo aperit* (ApoC. vi). Vix enim cuiquam alii sua sufficiebat iustitia, nedum sufficeret universis. Haec ille.

2027 Ut igitur Passione sua nos redimeret, et per eam sempiterna gloria dignos efficeret, assumpta nostra passibili carne in temporis plenitudine, omnem dolorem, poenam, confusionem et maiorem in cruce perpeti dignatus est.

2028 Erige igitur, mens devota, ad illud vitale lignum oculos cordis tui; et quia non decet Virginem Matrem Dei in tanta hodie moestitia labo-

rantem, advocatam pro nostra indigentia postulare; ne tanti benefici, scilicet, Dominicae Passionis reperiamur ignari et ingrati, tu, sanctissima Crux, esto *refugium nostrum et virtus*, illuminans mentes nostras splendoribus tuis; inflammans cor nostrum ardoribus tuis; roborata vires nostras virtutibus tuis; sine enim lumine tuo caeci sumus; sine calore tuo frigidi sumus; sine robore tuo fragiles sumus; sine sensu tuo animales sumus et brutales; sine dulcedine tua amari sumus, tu es decus salvandorum. O sanctissimum lignum vitae, succurre miseris, refove pusillanimes, iura debiles, dirige devios: tu pugnantium armatura, tuque pelagus gratiarum. Ad te igitur dirigimus preces nostras, ut ex abundantia infinitorum thesaurorum tuorum, nobis impetres sensum et intellectum, ut contemplando ingredi valeamus illas infinitas abyssus dolorum, confusionum, atque mysteriorum illius qui te pretiosissimo Sanguine suo consecravit. Praeterea te adorantes supplices exoramus, atque humiliter salutamus dicentes: *O Crux, ave, spes unica, hoc passionis tempore; auge piis iustitiam, reisque dona veniam, amen.*

*Afflictus sum et humilitas sum nimis, etc.* 2029 iterum tibi supra. In quibus sacratissimis verbis tres abyssus Dominicae Passionis mystice describuntur. Prima est abyssus incomprehensibilis poenitentiae, quia Propheta in persona Domini ait: *Afflictus sum, etc.* Secunda est abyssus incomprehensibilis humilitatis; unde Propheta subdit: *Et humilitas sum nimis; rugiebam a genua cordis mei.* Tertia est abyssus incomprehensibilis utilitatis; unde subiunxit Propheta dicens: *Domine, ante te omne desiderium meum.*

Prima pars principalis Dominicae passionis. 2030  
Primo igitur circa Dominicam Passionem contemplerur incomprehensibilem abyssum poenitentiae, quia summa Veritas per os Prophetae hoc de se testatur, dicens: *Afflictus sum.*

Et quis, quae, exprime sufficiat dolores et afflictiones, quas in sua Passione sustulit Christus, quomodo etiam omnibus rationalibus creaturis incomprehensibiles sint? et tamen aequaliter comprehendere valeamus incomprehensibilitatem, et abyssalem immensitatem eorum, tria ad praesens de ipso Domino praemittenda consideremus: Primo, plenitudinem cognitionum; secundo magnitudinem occasionum; tertio multitudinem rationum.

Primo consideremus plenitudinem cognitionum. 2033 Ab instanti conceptionis suae ex unione divini Verbi tres habuit cognitiones in mente sua. Primo habuit cognitionem praeteritorum; secundo habuit cognitionem praesentium; tertio habuit cognitionem futurorum. Haec tres cognitiones fuerunt

quasi tres altissimi montes super quos erecta et fundata fuit crux Domini nostri Iesu Christi, de quibus Propheta ait, Psal. lxxxvii: *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Ex quo patet quod inter cetera, maxime tria principaliter semper cognita erant in mente Christi. Primo enim peccata quae contra Deum in praeterito patrata erant, et quae in praesenti committebantur, et quae in futuro committi debebant; secundo omnia tormenta quae antea passus erat, tunc patiebatur, et quae in futuro passurus erat. Proinde Ioann. xviii, dicitur: *Sciens itaque Iesus omnia quae ventura erant super eum;* tertio cognovit omnia martyria, supplicia omnia, et omnes labores quae sustinuerunt omnes iusti, omnes tunc existentes, et omnes qui usque ad finem saeculi futuri sunt, quorum omnium ipse caput erat. Et haec omnia supradicta, et omnes duodecim duplicatas rationes, et aspectus earum, de quibus statim subdemus, simul plenus clarusque magis distincte vidit et cognovit, quam aliqua mens humana posset intelligere aliquid singulare.

2034 Secundo consideremus magnitudinem occasionum, scilicet, crucis eius. Tria siquidem fuerunt semper in Christo Iesu in hoc saeculo quoad vixit ex quibus est formata mentalis crux eius. Primum fuit immensus amor; secundum immensus dolor; tertiumque fuit immensum gaudium. Nam sicut duo ligna se intersecantia constituunt crucem, quae in medio clavo nectuntur; sic dolor et gaudium constituunt Christi mentalem crucem, ut gaudium erigatur in altum propter honorem divinum, et dolor in transversum propter nostrum flagitium, et haec duo in amore quasi in clavo medio nectuntur, aut potius ab ipso amore illa duo aequaliter oriuntur tanquam a principio radicali.

2035 Primo ergo mensura ab omni creatura immensurabilis Dominicae crucis fuit immensus amor, a quo processit. Nam tanta exiit, quantus ad Deum et ad proximum amor fuit; quia enim fuit unitus Verbo personali unione, tota capacitas naturae ipsius, quae ex personali unione dilatata exiit, tota amore repleta fuit, immo tota fuit amor in Verbo. Secundo etiam mensura et magnitudo Dominicae crucis tanta fuit, quantus exiit dolor in mente eius, et poena in carne. Pro cuius intellectu sciendum est, secundum Alex. de Ales in ii, quod dolores Christi fuerunt poenales, maxime propter duo. Primo quia erant contra naturam patientis; secundo quia erant contra voluntatem naturalem sensualitatis. Insuper est notandum, quod differunt materialiter a doloribus poenae; nam poenae variantur in corporis membris secundum ipsarum poenarum diversitatem,

et membrorum vivacitatem et sensibilitatem. Dolores vero variantur in mente secundum eius vivacitatem, quae naturalem et accidentalem dispositionem, necnon et secundum varietatem obiectorum ipsorum dolorum; nihilominus membrorum poena in momento pro dolore menti communicatur; atque dolor mentis quasi absque mora per poenam ipsi corpori habet communicari. Ex quo patet omnes mentales dolores qui ab instanti conceptionis fuerunt in mente eius, per inditibiles, ac variatas poenas resolvebantur in Corpus suum sanctissimum, secundum diversitatem obiectorum suorum dolorum; necnon et omnes eius corporales poenae secundum earum diversitatem et acerbitatem in eius mentales dolores modo inexplicabili resolvebantur. Denique quantum Deum et proximum adamavit; tantum sicut infra dicetur, de iniuriis iniuriati, atque iniuriantis doluit, et poenam sensit.

Tertio immensurabilis mensura et magnitudo 2036 Dominicae crucis fuit immensum gaudium ipsius Christi. Nam secundum Alex. de Ales in iii, propterea fuit meritoria, quia fuit in parte rationali, sicut voluit et placuit.

Inestimabile tamen erat gaudium, quia delectatio in superiori parte animae eius, in qua, scilicet, fruebatur. Nam quantum dilexit Deum et proximum, tantum dolebat et laetabatur: de iniuriis offensus et offensoris non utique fuisset virtuosus dolor, nec etiam gratus Deo, si doluisse invitus; quinimodo sicut aliis fruebatur virtutibus, sic et ista fruebatur suarum virtutum summa. Proinde in hunc dolorem, sicut in rem sibi placitissimam, et a se inaequabiliter praedilectam, toto mentis ferebatur conatu. Amplius addi potest, quod licet odisset Dei iniurias, tanquam summe impias et iniuas; tamen gaudebat et conabatur tota voluntate illa mala odisse, et quod mirabilis est, in hoc respectu Dominus plus doluit pro malis daemonum et damnatorum, licet redemptione ad eos non transiret, quam pro culpis electorum suorum; immo tanto amplius, quanto maior malitia, maiorque iniuria Dei continebatur in eis.

Tertio consideremus multitudinem rationum, 2038 scilicet, ex quibus dolor eius tantae magnitudinis fuerit, quod apud humanam et Anglicam intelligentiam incomprehensibilis erat. Hoc quidem dolore, sicut praedictum est, ab instanti suae conceptionis, dum vixit in carne mortali, semper mens eius plena fuit, ac per multas ac varias poenas in organo sui humani esse resolvebatur, secundum varietatem obiectorum diversorum, sicut praedictum est. Et licet multae huius doloris rationes dari possint; tamen duodecim fructus ligni

## FERIA SEXTA

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDE IOANNEM.

Ioann. II, 5-42.

In illo tempore: Venit Iesus in civitatem Samaritae, quae dicitur Sichar: iuxta praedium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo.

5. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta.

7. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dixit ei Iesus: Da mihi bibere.

8. Respondit enim eius abierant in civitatem ut cibos emerent.

9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudaeus cum sis, bibere a me potus, quae sum mulier Samaritana? non enim contutur Iudaei Samaritanis.

10. Respondit Iesus, et dixit ei: Si scires domum Dei, et quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.

11. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, et puteus alius est: unde ergo habes aquam vivam?

12. Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii eius, et pecora eius?

13. Respondit Iesus, et dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sities iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum:

14. sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam.

15. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.

16. Dicit ei Iesus: Vade, voca virum tuum, et veni huc.

17. Respondit mulier, et dixit: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Bene dixisti, quia non habeo virum:

18. quinque enim viros habuisti: et nunc quem habes, non est tui vir: hoc vere dixisti.

19. Dicit ei mulier: Domine, video, quia Propheta es tu.

20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis quia Ierosolymis est locus, ubi adorare oportet.

21. Dicit ei Iesus: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitur Patrem.

22. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudaeis est.

23. Sed venit hora, et nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales querit, qui adorent eum.

24. Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.

25. Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus) cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.

26. Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum.

27. Et continuo venerunt discipuli eius: et mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quaeris, aut quid loqueris cum ea?

28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in civitatem, et dicit illis hominibus:

29. Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia quaecumque feci: numquid ipse est Christus?

vitae merito dici possunt. Hoc siquidem lignum quod Christus est ex utraque parte fluminis, scilicet, humanitatis promerentis, et divinitatis meritum dilatantis, per singulos menses afferbat hos duodecim fructus, id est, fructiferae rationes, sicut Apoc. xxii mystice designatur. Ad quos gustandum hortatur Apost. ad Philipp. ii, cum ait: *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Iesu; qui, scilicet, videndo praeterita, praesentia et futura, propter duodecim duplicatas rationes amando dolebat, et laetabatur ex amore, dolore, et gaudio, quasi dicat Apostolus: Non tantum cum uno sensum animae vestrae, scilicet, visus aut gustus, sed etiam cum omnibus quinque sentite eius amorum, eius dolorem, eius gaudium in dolendo; et hoc potest esse thema in festo Sanctae Crucis.*

2030 Has igitur duodecim fructiferas rationes per ordinem subiungamus.

2040 Prima ratio est offensionis; secunda est ignorantis; tertia refectionis; quarta reverberationis; quinta compassionis; sexta incisionis; septima deformationis; octava fornicationis; nona contritionis; decima privationis; undecima obligationis; duodecima abbreviationis. Unde merito Propheta in persona Domini ad Patrem ait, Psal. lxxxvii: *Omnes factus tuos induxisti super me.* Glossa, id est, omnes passionis. Et alibi idem ait, Psal. lxxviii: *Veni in altitudinem maris, scilicet, amaritudinum, et tempestas, scilicet, mortis, demersit me.* Loquitur Christus mortuus per evidentiam facti.

2041 Erige iam mentis oculos, anima Deo devota, ad crucis Christi triumphale vexillum, et tres suavissimos fructus huius suavissimi ligni, seu tres lapides pretiosos atque splendentes contemplare in summitate illius, et tres in dextero eius cornu, aliosque tres in sinistro, et in imo ipsius crucis alios tres. Et ut praedicti duodecim fructus divisi, seu partiti, medullitus et avidius saporentur, qualibet praedictarum rationum dividatur in duas, ut sic duplicatae duodecim rationes in explicabilis crucis Christi in vigintiquatuor rationes consurgant, quasi vigintiquatuor horae naturalis diei, in quibus speculando conversabatur et cruciabat Filius Dei Iesus, iuxta vaticinium Zach. xiv cap., qui ait: *Est dies una quae nota est Domino, etc.*

30. Exierunt ergo de civitate, et veniebant ad eum.

31. Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca.

32. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.

33. Dicebant ergo discipuli ad invicem: Numquid aliquid attulit ei manducare?

34. Dicit eis Iesus: Mensibus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius.

35. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem.

36. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam aeternam: ut, qui seminat, simul gaudeat, et qui metit.

37. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, et alius est qui metit.

38. Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.

39. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quaecumque feci.

40. Cum venissent ergo ad illam Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies.

41. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius.

42. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, et scimus, quia hic est vere Salvator mundi.

## Homilia S. Augustini Episcopi.

IN IOANN. EVANG. TRACT. 15.

2042 **N**ON rude est auribus Charitatis vestrae, evangelistam Ioannem velut aquilam volare altius, caliginemque terrae transcendere, et lucem veritatis firmioribus oculis intueri. Multa enim iam ex Evangelio eius per ministerium nostrum Domino adiuvante tractata sunt: ex ordine autem sequitur haec lectio, quae hodie recitata est. Ea quae dicturus sum Domino donante multi sic audiri estis, ut magis recognoscatis quam discatis. Non ideo tamen pigra debet esse intentio, quia non est cognitio, sed recognitio. Hoc lectum est, et hanc lectionem tractandam gestamus in manibus, quod Dominus Iesus ad puteum Iacob loquebatur cum Samaritana muliere. Dieta enim ibi sunt magna mysteria, et magnarum similitudines rerum;

pascentes animam esurientem, reficientes languentem.

Dominus enim haec cum audisset, cognovisse Pharisaeos quod plures discipulos faceret quam Ioannes, et plures baptizaret (quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius), reliquit Iudaeam terram, et abiit iterum in Galilaeam. Hinc diutius disputandum non est, ne immortantes in manifestis, angustias temporis patiamur ad obscura scrutanda et aperienda. Utique Dominus si cetera Pharisaeos ita de se cognovisset, quod plures discipulos faceret, et quod plures baptizaret, ut hoc eis ad salutem valeret sequendi eum, ut et ipsi essent discipuli, et ipsi vellent ab eo baptizari; magis non relinqueret Iudaeam terram, sed propter illos maneret ibi: quia vero cognovit eorum scientiam, simul cognovit et invidentiam, quia non hoc propterea didicerunt ut sequerentur, sed ut persequerentur; abiit inde. Poterat quidem ille et praesens ab his non teneri, si nollet; non occidi, si nollet; quia potuit et non nasci, si nollet: sed quia in omni re quam gessit ut homo, hominibus in se credituris praeebat exemplum (quia unusquisque servus Dei non peccat, si secesserit in alium locum, videns furorem forte persequentium se, aut quarentium in malum animam suam; vide-retur autem sibi servus Dei peccare si faceret, nisi in faciendo Dominus praecessisset), fecit hoc ille magister bonus ut doceret, non quod timeret.

Fortassis etiam hoc moveat, cur dictum sit: *Baptizabat Iesus plures quam Ioannes*; et posteaquam dictum est, *Baptizabat*, subiectum est, *Quamquam Iesus non baptizabat, sed discipuli eius*? Quid ergo? falsum dictum erat, et correctum est, cum additum est, *Quamquam Iesus non baptizabat, sed discipuli eius*? An utrumque verum est, quia et Iesus bapti-



zabat, et non baptizabat? Baptizabat enim, quia ipse mundabat; non baptizabat, quia non ipse tingebat. Præbebant discipuli ministerium corporis, præbebat ille adiutorium maiestatis. Quando enim cessaret a baptizando, quamdiu non cessat a mundando? De quo dictum est ab eodem Ioanne, per Ioannis Baptistæ personam dicentis: *Hic est qui baptizat* (IOANN. I, 33). Ergo Iesus adhuc baptizavit; et quo usque baptizandi sumus, Iesus baptizavit. Securus homo accedat ad inferiorem ministrum; habet enim superiorem magistrum.

2045 Sed forte ait aliquis: Baptizavit quidem Christus in spiritu, non in corpore. Quasi vero alterius dono quam illius, quisquam etiam sacramento corporalis et visibilis Baptismatis imbuatur. Vis nosse quia ipse baptizavit, non solum spiritu, sed etiam aqua? Audi Apostolum: *Sicut Christus*, inquit, *dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi* (EPHES. V, 25-27). Mundans eam. Unde? *Lavacro aquæ in verbo*. Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non est baptismus: tolle verbum, non est baptismus.

2046 Iam ergo his præciactis, per quæ venit ad colloquutionem cum illa muliere, videamus quæ restant plena mysteriis, et graviora sacramentis. *Oportebat autem, inquit, eum, transire per Samariam. Venit ergo in civitatem Samariæ quæ dicitur Sichar, iuxta prædium quod dedit Iacob filio suo Ioseph. Erat autem ibi fons Iacob*. Puteus erat: sed omnis puteus fons, non omnis fons puteus; ubi enim aqua de terra manat, et usui præbetur haurientibus, fons dicitur: sed si in promptu et superficie sit, fons tantum dicitur; si autem in alto et profundo sit,

ita puteus vocatur, ut fontis nomen non amittat.

*Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem. Hora erat quasi sexta. Iam incipiunt mysteria. Non enim frustra fatigatur Iesus; non enim frustra fatigatur Virtus Dei; non enim frustra fatigatur, per quem fatigati recreantur; non enim frustra fatigatur, quo deserente fatigamur, quo præesente firmamur. Fatigatur tamen Iesus; et fatigatur ab itinere, et sedet, et iuxta puteum sedet, et hora sexta fatigatus sedet. Omnia ista innuunt aliquid, indicare volunt aliquid; intentos nos faciunt, ut pulsemus hortantur. Ipse ergo aperiat et nobis et vobis, qui dignatus est ita hortari ut diceret: *Pulsate, et aperietur vobis* (MATTH. VII, 7). Tibi fatigatus est ab itinere Iesus. Invenimus Virtutem Iesum, et invenimus infirmum Iesum; fortem et infirmum Iesum: fortem, quia: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum*. Vis videre quam iste Filius Dei fortis sit? *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil; et sine labore facta sunt*. Quid ergo illo fortius, per quem sine labore facta sunt omnia? Infirmum vis nosse? *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (IOANN. I, 1, 3, 14). Fortitudo Christi te creavit, infirmitas Christi te recreavit. Fortitudo Christi fecit ut quod non erat esset: infirmitas Christi fecit ut quod erat non periret. Condidit nos fortitudine sua, quæsvit nos infirmitate sua.*

Nutrit ergo ipse infirmus infirmos, 2049 tamquam gallina pullos suos; huic enim se similem fecit: *Quoties volui, inquit ad Ierusalem, congregare filios tuos sub alas, tamquam gallina pullos suos, et noluisit?* (MATTH. XXIII, 37). Videtis autem, fratres, quemadmodum gallina infirmetur cum pullis suis. Nulla alia avis quod

sit mater agnoscitur. Videmus nidificare passerem quoslibet ante oculos nostros; hirundines, ciconias, columbas quotidie videmus nidificare; quos nisi quando in nidis videmus, parentes esse non agnoscerimus. Gallina vero sic infirmatur in pullis suis, ut etiamsi ipsi pulli non sequantur, filios non videas, matrem tamen agnoscas. Ita fit alis demissis, plumis hispida, voce rauca, omnibus membris demissa et abiecta, ut quemadmodum dixi, etiamsi filios non videas, matrem tamen intelligas. Sic ergo infirmus Iesus, fatigatus ab itinere. Iter ipsius est caro pro nobis assumpta. Quomodo enim iter habet qui ubique est, qui nusquam deest? Quo it, aut unde it, nisi quia non ad nos veniret, nisi formam visibilis carnis assumeret? Quia ergo venire ad nos eo modo dignatus est, ut in forma servi assumpta carne appareret, ipsa carnis assumptio est iter ipsius. Ideo *fatigatus ab itinere* quid est aliud, quam fatigatus in carne? Infirmum in carne Iesus: sed noli tu infirmari; in illius infirmitate tu fortis esto, quia *quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (I COR. I, 25).

2049 Sub hac rerum imagine Adam qui erat forma futuri (ROM. V, 14), præbuit nobis magnum iudicium sacramenti; imo Deus in illo præbuit. Nam et dormiens meruit accipere uxorem, et de costa eius facta est ei uxor (GEN. II, 21): quoniam de Christo in cruce dormiente futura erat Ecclesia de latere eius, de latere, scilicet, dormientis; quia et de latere in cruce pendentis lancea percusso (IOANN. XIX, 34) Sacramenta Ecclesiae profliuerunt. Sed quare hoc dicere volui, fratres? Quia infirmitas Christi nos, facit fortes. Magna ibi imago præcessit. Potuit Deus carnem detrahere homini unde faceret feminam, et magis videtur quasi congruere potuisse. Fiebat enim

sexus infirmior, et magis de carne infirmitas fieri debuit quam de osse: ossa enim in carne firmiora sunt. Non detrahit carnem unde faceret mulierem; sed detrahit os, et detracto osse formata est mulier, et in locum ossis caro adimpleta est. Poterat pro osse os reddere, poterat ad faciendam mulierem non costam, sed carnem detrahere. Quid igitur significavit? Facta est mulier in costa tamquam fortis: factus est Adam in carne tamquam infirmus. Christus est et Ecclesia, illius infirmitas nostra est fortitudo.

2050 Quare ergo hora sexta? Quia aetate saeculi sexta. Computa in Evangelio tamquam unam horam, unam aetatem ab Adam usque ad Noe; secundam a Noe usque ad Abraham; tertiam ab Abraham usque ad David; quartam a David usque ad transmigrationem Babyloniac; quintam a transmigratione Babyloniac usque ad baptismum Ioannis: inde sexta agitur. Quid miraris? Venit Iesus, et humiliando se venit ad puteum. Fatigatus venit, quia infirmam carnem portavit. Hora sexta, quia aetate saeculi sexta. Ad puteum, quia ad profunditatem huius habitationis nostrae. Unde dicitur in Psalmis: *De profundis clamavi ad te, Domine* (PSAL. CXXXI, 1). Sedit, ut dixi, quia humiliatus est.

2051 *Et venit mulier*. Forma Ecclesiae, non iam iustificatae, sed iam iustificandae; nam hoc agit sermo. Venit ignara, invenit eum, et agitur cum illa. Videamus quid, videamus quare: *Venit mulier de Samaria haurire aquam*. Samaritani ad Iudaeorum gentem non pertinebant: alienigenae enim fuerunt, quamvis vicinas terras incolerent. Longum est originem Samaritanorum retexere, ne nos multa teneant, et necessaria non loquamur: sufficit ergo ut Samaritanos inter alienigenas deputemus. Et ne hoc adiacius me